



1672.

1. Clodius, Johannes : Jus clarigandi.
2. Clodius, Balthasar : Ritum exalceandi in con-  
tractibus olim mutatum ex Antiquitatibus Bras-  
orum . . . publicae lucis sisteb.
3. Hoeltich, Franc. Henr. : Aborigine feud. [feudorum!]
4. Hoeltich, Franc. Henr. : De jure ambucac.
5. Hoeltich, Franc. Henr. : De administranda tutela.
6. Hoeltich, Franc. Henr. : Episcopus panarius.
7. Hoeltich, Franc. Henr. : Jura legitimacionum.
8. Hoeltich, Franc. Henr. : De jure recriminationum.
9. Hoeltich, Franc. Henr. : Foemina non est homo.
10. Lederer, Michael Fridonia : De monopolis
11. Leyser, Wich. : Jura aedificiorum et aedificandi.
12. <sup>2<sup>te</sup></sup> Nerger, Joachin : De athletis et gladiatoribus peni-  
tus tollendis. 2 Exmpl.
13. Nerger, Joachin : De consuetudine, ejusque jure.
14. Nerger, Joachin : De contracta deponiti, ejusque  
jure.



15. Nerger, Joachim: De majestatis dominio  
supereminenti in bonis civium.
16. Nerger, Joachim: De veneratione principum.
17. Ritter, Christophorus: De jure singulari pauperum  
libro. 2 Exempl.
18. Stolbergius, Baltherus: De distinctione, cum  
primis Novi Testamenti Graeci in Cepita  
et verba o. commuta et cola.
19. Straussius, Gosafredus: Exercitatio II ad V. et VI. Libr.  
Dig. selectiores quaedam Leges.
20. Vogel, Hermannus: De Justiniano Imperatore
21. Ziegler, Hieronymus: De Jure Colledandi, a quibus,  
quibusve personis et rebus imponi Collectae  
debeant.
- 1673.
- 1<sup>a</sup> Frutzelius, Simon Fridericus: Cadavera humana  
et praesentiam occisoris, cruentata.
- 1<sup>b</sup> Frutzelius, Simon Fridericus: De cadaveribus



- humanis ad praesentiam occisoris orientalis
2. Hoeltich, Franciscus Henr.: De his quorum ratio reddi non potest.
  3. Hoeltich, Franciscus Henr.: De legato rei alienae.
  4. Hoeltich, Franciscus Henr.: Conclusiones Subteritiae ad L. Anastasianam.
  5. Lederer, Michael Fridericus: De apostolis.
  6. Leiser, Wilhelm: De expectativa in casum mortis concessa.
  7. Martini, Werner Theodor: De restitutione alieni iniuste ablati.
  8. Neger, Friedrich: De testimoniis.
  9. Röhrensien, Christianus: De jure aggregandi.
  10. Scharfius, Jo. Frid.: Donationum jura.
  11. Schurzfleisch, Konr. Samuel: Origines Pomeronicae.  
... edisserent ...
  12. Straussius, Godofredus: De obligatione mere civili.
  13. Straussius, Godofredus: De suffragio seu intercessionem publici apud principem.



14. Liegler, Kasper: De praena committit  
15. Liegler, Kasper: De jure rectorum.



Q. D. B. V.

Qv.

FOEMINA  
NON EST HOMO,

Vulgò

Ob die Weiber Menschen  
seyn oder nicht?

Videbunt publice

FRANCISC. HENR. HOELTICH,  
JUR. DOCTOR.

et  
JOHANNES CASPARUS Walk/  
Hiltperhusio-Francus.

IN AUDITORIO JURISCONSULTORUM,

à D. XIV. Decembris, Anno 1688.

WITTEBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



~~Handwritten scribbles~~

ANNO

NON EST HOMO

die die

der die

ANNO

DOCTOR

I

JOHANNES CASPARUS

Magister

in

in

MIT

in





1132

FELICITER!

I.



*F*emina proprie non est homo, relecta frequens litera est Jac. Cujacii, illius JCTI, qui e lateritia jam auream fecit Jurisprudentiam, Lib. VI. Observat. suarum cap. XXI. Sed quâ culpatur in congressibus Deorum etiam minorum; eò confidentius, postquam Jura nostra collecta insimul

sunt ex naturalibus præceptis, aut Gentium aut Civilibus. §. ult. Institut. de J. & J. Natura verò ipsa Sexum sic distingvit humanum in Marem & Fœminam. pr. de Jur. Natur. Gent. & Civ. pr. Quibus modis Tutela finitur. L. 9. & 10. D. de statu hominum. Et quod adeò utriqve sexui simile jus servaverit Justin. in L. 4. C. de Liberis præterit inter masculos & fœminas aliquando nihil interesse existimans, quia utraqve Persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur. §. 5. Institut. de exhered. Liberorum.

II.

Et est ita. Excogitavit DEUS duorum sexuum rationem. Lactant. lib. 6. Divin. Institut. cap. 13. quos impiè magts an magis ineptè in unum redituros speres aut

A 2

optes





6420  
5811  
optes, postquam idem unus Naturæ auctor ante initia etiam Creationis attribuit ipsis, ut se invicem appeterent & conjunctione gauderent. In quod ardentissimam cupiditatem cunctorum quoque animantium corporibus admisit, ut in hos affectus avidissimè ruerent, eaque ratione propagari & multiplicari genera possent. In quo oppidò magna est DEI clementia retribuentis naturæ nostræ immortalitatem. Nov. 22. pr. l. 220. §. 3. de V. S.

III,

Adeoque non possum sine encomio præterire Artoptarios illos, qui fecerunt sibi quidem liberam transmutationem illam de sexu sive fœminino sive masculino ad alterum eorum, & ut tandem fortè singulis in sua reverti liceat. Quæ doctrina cum in ratione non posset, quod sciam, saltem per exempla cœpit apud Plinium lib. 7. Hist. Nat. cap. 4. ex quo descripsit Aul. Gellius Noct. Attic. lib. 9. c. 4. Fefellit deinceps acutissimum scriptorem Hispanum Joann. Huartes in suo scrutinio ingeniorum (examen de ingenios para las ciencias) ut hæc scriberet cap. 15. pag. 339. que el hombre no diffiere de la muger: mas que en tener los miembros genitales fuera del cuerpo. Porque si hazemos anatomia de una Donzella, hallaremos que tiene dentro de si, dos testiculos, dos vasos seminarios, y el utero, con la mesma compostura que el miembro viril, sin faltarle ninguna deligneacion. Y de tal manera es esto verdad, quæ si aocavando naturaleza de fabricar un hombre perfecto, le quisiessse convertir en muger, no tenia otro trabajo, mas que tornarle a dentro los instrumentos de la generacion. Y si hecha muger, quisiessse volverla en varon, con arrojarle el utero, y los testiculos fuera, no havia mas que hazer. Esto muchas vezes le a acontezido à naturaleza, assi estando la cintura en el cuerpo, como fuera. Hæc Huartes inter acumina sua



57.  
6  
sua numerat; quàm benè, videre possis apud Scipionem  
Mercurium nella Commare L.2. cap.35. fogl.22.

IV.

1193.  
Nec substitit res inter Philosophos aut Medicos, sed  
irrepsit etiam, nescio quo fato, ad Auditoria nostra. In-  
ter Gallos est Andreas Tyraqvellus, de quo dignum est,  
quod hic legatur iudicium Valent. Forsteri in calce libr.3.  
Histor. suar. de Jure Civili: Vir, scribit, tantæ & tam variæ  
lectionis, quanta nec superiori, nec nostrâ ætate ullus.  
Si ipsi soli multiplicem hanc, variamque lectionem in o-  
mnium disciplinarum Autoribus tribuas, impossibile ferè  
fuisse homini, tantum legisse dixeris. Si aliorum auxilio  
iudicium miraberis. Ita ille in L. Gonnub. l. gl.1. parte 1.  
num. 100. Legimus aliquando fœminas mutari in mares;  
è diverso autem mares in fœminas rarerè, quod sciam,  
aut recordor: veluti natura ex deterioribus ad meliora  
nitatur, non è converso. Deinde subjicit Lecturam flo-  
rentissimam.

V.

Ex Italis recordor famosi illius de exustione mundi  
Scriptoris Hieronymi Magni Anglarensis. Is cum l. 5. c.3. in  
illa incidisset: an non in futura resurrectione masculi omnes  
cum mulieribus viri futuri essent? hæc subjungit; quan-  
quam si fœminarum fiat metamorphosis in mares, nihil de-  
cedet corporibus, quia magis accedet: potestq; id à natura  
feri; quin aliquando factum legimus. Quæ de re legere  
ne pigeat, quæ à nobis scripta relataque sunt libr. 1. cap. 4.  
*μικρογυνίας* sive commentariorum ad L. cum vir nubit C.  
ad Legem Jul. de adulter. & stupro. Membra enim par-  
tesque generationi famulantes, quæ intra fœminæ cor-  
pus abdidit natura, si exerantur, nullo negotio Maris  
natura corpori conciliatur: præsertim cum pudendum  
muliebri. vel matricem membrum virile inversum esse,  
A 3 Medici



1428  
Medici quidam animadverterint. f. 190. Sed cui rectè ob-  
vertas idem quod Nobilem Philosophum Florentinum Be-  
nedictum Varchio reposuisse ipse scribit inibi; id scil. ipsum  
seu Varchium seu Magiam non affirmaturum, si humani  
corporis fabricam diligentius aliquanto spectasset. Quous-  
que legas Anatomicos, sed cum stupore frigido.

VI.

Nobis è diverticulo in viam redeundum; Quando  
quidem præterea DEUS creavit hominem ad imaginem  
& similitudinem suam: ad imaginem DEI creavit illum,  
masculum & fœminam creavit illos, Genes. cap. ult. XXXIII.  
quæst. ult. Aristot. lib. 10. de prima philosophia lib. 4. gene-  
ration. animæ. Et deferenda rursus inter Terrores Pani-  
co translatica illa de Platone hæsitario, numerone ratio-  
nabilium an irrationabilium ponendæ essent fœminæ? ad  
quam se debuit mensurasse A. F. inter nostros alioqui Ju-  
risconsultissimus, sicubi unquam ea voluit scripsisse, quo-  
rum Bachovius ipsum quidem rerum postulat ad præta, de  
statu hominis n. 2. fol. 157. Quæ sic omninò impia sunt  
& hæretica, censente Jacob. Rigos à MalloSCO ad L. 1. de V.  
S. n. 7. Nec minus est in Deum Creatorem injuria tota illa  
disputatio, si fœmina sit mas sive occasionatus, sive muti-  
lus & mancus aut imperfectus? qualia ex Aristotele satis  
incautè, sua fecerunt Thomas, & in nostris Benedict. in  
repetit. C. Raynutii in V. duas habens filias. num. 22. X.  
de Testament. & sequitur iterum Tyraqvellus dict. loc.  
num. 99.

VII.

Immaculatum est ab hisce & similibus omnibus Cu-  
jacionum acumen. Non putamus enim verba à princi-  
pio simul cum mare & fœmina creata; sed illa valent sal-  
tem ex instituto & secundum impositionem hominis  
Arist.



57.

6

Aristot. lib. 2. de Interpret. cap. 2. ejusque Recensitor Mich:  
Psellus, ibid. Aul. Gellius Lib. 10. cap. 4. Sicut ille solus  
prudentia & virtute munitus nascitur, & ad vitam civilem  
aptus Lib. 1. Politic. cap. 2. & 3. ita non potuit etiam non  
simul sermocinandi vi instructus nasci, ut quæ sentit, alteri  
cum intelligentia aperiat, & vicissim ipse ad sensa alterius  
participet. Cætera animantium sine mente sunt, *ἀνευνοῦς*  
Aristot. 6. Nic. 13. §. 7. sensu carent, pr. Institut. si quadru-  
pes pauper. fecisse dicatur, adeoque non opus iis sermo;  
Ut sint sive turbata quovomodo sive præstigiata men-  
tis insomnia, quæ scribunt Porphyrius L. 3. de abstin. ab  
esu, animant. §. 3. Plinius Lib. 29. Histor. Natural. cap. 7.  
de Apollonio Thyaneo, Melampode, Tiresia, Democri-  
to aut aliis animantium Collocutoribus & Interpretibus;  
quibus tamen defensor extitit Doctiss. inter Medicos Pa-  
ravinos Hieronymus Fabricius ab Aquapendente peculiar.  
scripto Libro de Loqvella Brutorum. Et recordor dum  
ad Ligerim versarer, nubeculas hæc Gallum quenvquam  
hominem resuscitaturum novo sale Medico, ex quibus  
tamen nondum quod sciam detonuit. Adde sis Besol-  
dum Tractatu singul. de Natura Populorum cap. II.  
pag. 52.

### VIII.

Porro sicut homo solus beneficio intellectus sui jam  
aliarumque rerum causas penetrare scit atque pervidere,  
reliquis animantibus talem operationem non participan-  
tibus. 1. Nic. 9. §. 13. Ita idem ille ex minima licet par-  
te saltim heres avitarum virtutum, nihilominus omni-  
avo nomina rebus singulis. secundum uniuscujusque na-  
turam imponere potuit ex jure Genes. Et debuit verò,  
super quo voluntas aut necessitas ab ipso postulabat *ὀνο-  
μαστικῆν*. Benè Philo, à ratione profecta vox articulata  
est, quæ in ore articulari linguæ plectro absolvitur; ut ita  
expressa, sermo jam non nuda vox informisque fieret, sed  
mentis interpres.

### IX. Et

~~1133~~  
1134.



## IX.

Et hæc adeo instituta rectæ rationis ex usu Gentium approbata rectè sequitur Jus Civile, id enixè cogitans, ut rebus sint consequentia nomina §. 3. Instit. de donation. §. 5. quib. mod. Test. inf. Et lex quoque hac sua utilitate magis, quod aliàs non intelligitur. L. 17. L. 9. de LL. L. 29. cod. cum evidentia peccati, si LL. quæ sunt leges hominum obligant in conscientia, quod voluit Dn. Soto L. 1. de Justit. Quæst. 6. artic. 4. Certè ubique legis facile obedientia destituitur, cum in Legum verbis sensa ferè per interpretationis facilitatem luxentur. Albertus Bolognett. de Lege c. 30. Angel. Mattheac. de via & ratione Juris L. 2. c. 15.

## X.

Ad propositum nostrum aliter in Græcorum civitate (unde descriptæ sunt primæ LL. Urbis Romæ) Vir appellabatur, aliter fœmina, *ἀνὴρ καὶ γυνή*. Imò separabantur etiam in illo Æschinis *ἀνδρῶν καὶ γυνή*. Et nolo describere ulteriora ex Scipione Gentili l. parerg. 3. Arnold. Corvino ad L. 152. de V. S. Identidem Romæ homo & totum erit argument. L. 158. de V. S. & si pars, ut accipiat magis propter nobiliori significatu masculi. Petr. Greg. Tholos. Lib 7. cap. 2. num. 2. quibus fœminæ multum inferiores sunt, & animo & corpore. Masculino enim sexui natura dominationem, potestatem, majores sensus, fortitudinem, honorem, dignitatem & conservationem familiaris aliasque prærogativas & eminentias concessit, cum fœminis tantummodo subjectionem & obedientiam præceperit Dn. Tabor in additament. ad Augustini Barbofæ Loc. Commun. L. 2. c. 13. axiom. 2. Longè plura philosophantium sensa collegit Tyraqv. Gloss. i. Connub. p. 1. n. 88. seq. fol. 19. Verba pro omnibus facere posset. Thom. Lanfius in sua Pro-Galliana si id locus hic posceret. Da vilem, da compeditum, dubitare tamen non possis, meliorem esse, quia



1135  
6  
quia masculus est. Lælius Mancinus Collation. Jur. Lib. v. c. 75. n. 4. Nobis sufficit in excellentia primæ Creationis, & quod homo fuit ante fœminam, quod constat ex Historia Geneseos.

XI.

Si Auctores essent dandi, quod solet fieri in re antiqua, vel si mavis critica: tum vero utile, nisi fallor, fuerit illud Plaudinum in Cistellar. act. 4. sc. 2.

Mi homo & mea mulier vos saluto.

Et quod idem habet in Bachide l. v. 54.

Isthoc illecebrosius

Fieri nihil potest, Nox, mulier, vinum, homini adulescentulo. Sed & adducitur Locus ex Arnobio: Beneficia patres munerandis & fœminis & hominibus portabant. Et ita vetus translatio Bibliorum Gen. 2. 24. Derelinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori. Editionem Dn. D. Brentius sua præfatione decoravit.

XII.

Quod si quid in hisce valet argumentum à posteriori, illud proderit, quod in Lingva tum Italica & Hispanica, quam Gallica (quæ sunt omnes desertores Romanæ elegantia: vid. Speidelium in Speculo von Sprachen fol. 1171.) Mas semper appellatur homo, nunquam verò fœmina: L'huomo, l'hombre, l'homme. La moglie, overo donna, la femme.

O mugeres, ô mugeres! Parayso de ojos.

Infierno de animas, Purgatorio de bolsas.

I. Medrano in Sylv. Curios. l. i. fol. 13. Et ut illud tangam de moribus nostris, Virum dicimus in excellentissimo genere den Mann / oder Menschen: fœminam, si quando das Mensch / in Neutro, quod est privationis. Hæc ergo sic volet usus.

Quem penes arbitrium est & vis & norma loqvendi.



2011  
1732

XIII.

Quæ omnia tandem ex vi veritatis fateri habet Bachovius quoque, qui volebat nihilominus videri notasse Cujacium, sed præter indigentiam causæ. Neque enim lis futura erat nisi super proprietate Vocis. Numquid vi nominis, an verò extensivæ interpretationis beneficio Mulier hominis appellatione veniat, ut post Albericum de Rosate in L. quicumque col. 3. in fin. de Serv. fugitiv. Bartol. in L. si quis in tantam C. unde vi & Baldum in L. ult. col. 6. vers. Item improprie C. de hered. institut. Jason voluit in L. qui filiabus num. 18. & 21, de hered. institut. & L. si quis de Jurisdic. omnium Judic. & Sylvestr. Aldobrandinus in §. ult. Institut. Q. Test. Tut. dar. poss. Quem ipsum catalogum fecit Henric. Salmuth. ad Panciroll. Libr. 1. Tit. 46.

XIV.

Hoc patet ex tota serie scriptionis Cujacianæ. Scilicet quod fœmina proprie non sit homo, sive absolute & in se, sive per comparisonem & traductionem ad masculum. Ita habet: Infans homo nondum est. Fœmina item proprie non est homo. Hæc de infante nunquam ad naturam trahi possunt, non magis ac illa, quæ apud Esaiam Prophetam conjunxit ipse Jehovah: Maledictus Populus, cui infantes & fœminæ imperant. cap. III. vers. II. Ergo nec dum de fœmina, sed utrinque tantum in civili verborum significatu, & inter quos uterque jure recipiant. Ex quo ingens de significationibus verborum cura fuit & sollicitudo JCtis nostris, in media quoque Roma. Laudantur in hanc partem Aelius Gallus, C. Attejus Capito, Cincius & Verrius Flaccus, aliique, ut adeo palmam iis tribuat ipse etiam Laurent. Valla in præfat. lib. 3. elegantiarum suarum. Ita scribit post alia: Et prisce illi quid. Jurisconsulti quales quantique in loquendo fuerint, judicare non possumus: quippe quorum nihil legimus. His autem, qui inter manus versantur, nihil est, mea sententia, quod



457.  
6  
quod addi adimive posse videatur, non tam eloquentiæ  
(quam quidem materia illa non magnopere baritur)  
quam latinitatis atque elegantiae, sine qua cæca om-  
nis doctrina est & illiberalis, præsertim in Jure Civili.  
Hæc ille.

XV.

1750.  
Quapropter post hæc quidem rem solum domi nostræ  
pervestigabimus. Et occurrit textus pro verbalitate famo-  
sus L. 38. §. 5. ibi: quod si eò mulier *AUT HOMO* perie-  
rit. D. de pœnis. Jam notissimum illud est, quod hæc di-  
ctio regulariter est adversativa, & ponitur inter diversa. Ce-  
ned. Pract. quæst. singul. 6. num. 1. Et si est disjunctiva,  
disjungit nihilominus verba & sensum Johann. Strauch.  
in Lex. Particular. Juris h. n. 2. ut proinde etiamnum post  
oppositionem illam relativam, quam aptavit hic Gæd-  
dæus ad L. 1. de V. S. num. 31. seqq. Treutler. Vol. 1. Disput. 2.  
§. 1. lit. c. Ant. Tessaur. decis. Pedemont. 12. num. 1. & 2. Ba-  
chov. in π. dicto loco. Henric. Salmuth. ad Pancirollum  
L. 1. Tit. 46. fol. 217. & noviss. Cyprianus Regnerus Disput.  
61. ad π. §. 5. ut, inquam, illud maneat, quod hominis  
determinatio ibi ad solum masculinum referatur sine vitio, &  
ut ne duplicetur illic præter necessitatem mulieris (rei mino-  
ris s. inferioris) interitus.

XVI.

Textus similis est ex Concilio Wormatiensi apud Bur-  
chard. L. 17. Decret. c. 57. & in cap. 5. X. de Homicid. Si ali-  
quis causa explendæ libidinis vel odii meditatione hominẽ  
aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non  
possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homici-  
da tenetur. Ubi evidenter cessat illa oppositio relativa Le-  
gistarum.

XVII.

Sed bino adhuc textu uti liceat civili. Scribit Paulus  
in L. 6. de R. V. In petendo homine nomen ejus dici de-  
bet & utrum puer an adolescens sit. Utiqve si plures sint.  
B 2 Sed



Sed si nomen ejus ignorem demonstratione ejus utendum  
erit, veluti qui ex illa hereditate est: qui ex illa natus est.  
Et in L. 39. §. 4. famil. herciscun. Scævola. Duos filios scri-  
psit heredes: & certos homines unicuique eorum prælega-  
vit, in quibus unum Stephanum cum peculio &c. Utrobi-  
que genus masculinum, tum nomina masculorum propria,  
non admittunt unum genus femininum. Etsi saltem ad e-  
undem usum juris. arg. princ. quod cum eo qui in alien.  
pot. Tum vero adhuc dum forte cogitandum erit de Le-  
gato hominis, si aliquando ad electionem ancillæ opere-  
tur, L. 61. L. 81. pr. de Legat. 3. L. 101. §. 3. de V. S.

XVIII.

Occasione hujus Legis qui duos 61. de Legat. 3. viden-  
dum est de Regula, quam facit Julianus, quod semper se-  
xtus masculinus etiam femininum sexum continet; quam  
adeo nobis acriter opponunt adversæ partis quotquot sunt.  
Sed neglecto statim eo, an de naturali vocis sensu, an vero  
super interpretatione, quam vocamus Extensivam, conce-  
pta sit. Hoc sane Julianus ipse docere videtur relatus in  
L. 201. D. de V. S. Justa interpretatione recipiendum, ut  
appellatione filii *SICUTI* filiam famil. contineri (per in-  
terpretationem scil. in quo est medium comparationis) sæ-  
pe respondebimus, ita etiam nepos videatur comprehendi.  
Cum alias in se aliter filii, aliter nepotes appellentur. §. ult.  
Instit. Q. Test. Tut. dari poss. L. 6. de Test. Tut. Et super  
hæc eadem scripsit Ulpianus in L. 195. de V. S. Pronuncia-  
tio sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum ple-  
rumque porrigitur. Alciatus in Comment. ad h. l. Quod  
Modestinus cautè descripsit: quasi commune nomen u-  
trumque sexum contineat in L. 81. de Legat. 3. & l. 101. §. 3.  
de V. S. Nam commune dicit Modestinus, quod ipsa com-  
municat autoritate sua Lex; vel non commune dicit,  
sed quasi, quia sicut Hominis appellatio masculinum æque  
ac feminam continet, ita & servi nomen ancillam compre-  
hendit. Verius vero est interpretatione Legis id fieri. La-  
lius



1137  
L. 57. 6  
lius Mancini de triplici Jur. Collat. L. i. cap. 4. n. 8. add. Dn. Card. Thusc. lit. M. concl. 102.

XIX.

Et signanter adeo Javolenus: *Quisquis mihi alius Filius filiusve heres sit*: Labeo, non videri filiam contineri: Proculus contra: Mihi Labeo videtur verborum figuram sequi. Proculus mentem testantis. Respondit: Non dubito quin Labeonis sententia vera non sit in L. 116. de V. S. ubi scribit Gothofredus: quid igitur hic statui oportet? nempe Flii appellatione filiam non ex figura verborum, sed ex mente intelligi. L. 122. L. 201. eod. L. 16. de Testam. Tutela L. 45. de Legat. 2. Ecloga ibid. cap. 116. Plura non addo, praesertim cum poterat etiam in simili versantibus reponi textus L. 1. de Legat. 1. L. 52. de acqvirend. possess. & similes. Non dicam de authore d. L. 1. Potest consuli Ant. August. Lib. 3. Emendat. c. ult. Cujac. Lib. 8. Observat. 4. Eguin. Baro ad Institut. de Legatis fol. 173. Docuit per omnia exaevata esse Legata fideicommissis. L. vero 12. quod nihil commune habet proprietas cum possessione, quae utraque quam simpliciter vera sint aliunde constat. Ut sic potenter imperet in hisce talibus L. 202. de R. J. omnem definitionem esse periculosam in Jure, parum enim esse, ut non subverti possit. Hubertus Giphanius in Comment. hic, & ad L. 1. de V. S. Johann. Ramus Enchirid. Reg. Juris Lib. 1. axiom. 3.

XX.

Post haec paratum satis reor usum illius quod Gajus ad L. Jul. & Papiam scripsit: *Hominis appellatione tam feminam quam masculum contineri non dubitatur* L. 152. de V. S. quae verba dissensum Doctorum aliorum inferunt arg. L. 116. de V. S. aliquando non continetur: aut si continetur dubium. per superiora. Et videbatur ita esse in odiosis, ubi alias Masculinum non concipit Femininum c. odia 15. de R. J. in 6. Praesertim si odium est irrationabile. Aymon. Cravetta de antiquitat. temporum part. 4. Rubr. 1. num. 158. seq. fol.



7811  
1730

fol. 174. Bart. Socinus. Reg. 312. Fallent. 4. Forster. L. 4. de Succession. cap. 6. num. 15. & 16. & agnovisse Bachovium deprehendas: Comment. ad Gult. Instit. Qvi Test. Tut. dar. poss. Utraque autem Lex Julia & Papia sunt odiosæ in illud, ne orbi neve cœlibes ex testamentis Civium Romanorum solidum capiant, nisi intra dies C. h. e. intra diem creationis à morte Testatoris L. Papia paruissent, h. e. nuptias fecissent. Cujacius noster ad fragm. Ulpiani Tit. 14. Tom. 1. Oper. f. 148. & plenissime in parat. C. de caducis tollend. Ergo Quæritur annon in L. Papia sic auêta saltim sit significatio hominis, & ad fœminas producta per modum ampliati-  
onis? quod affirmat Noster dict. Obs. 21. Lib. 6. præsupposita, quod puto, delatorum libidine & adjuncta frequens Fisci avaritia sub Impp. maximè tyrannicis; quæ secuti sint magis exempla Jcti interrespondendum. Et ita verisimiliter defendi poterat. In quantum fœminæ pudor naturalis non permittit ardere in cohabitationes; & ut in Venerem ruat præceptis arg. L. 27. de hæredit. petit: adde Brunn. ad L. 3. de negotiis gestis num. 1. Propterea debuit merito mulier esse extra pœnam, quæ extra culpam est, aut esse præsumitur. Quandoquidem Fœmina Virum sequitur, ut materia Formam Aristot. lib. 14. animal. Gigas fol. 392. Nolo etiam num uti Pliniano illo lib. 7. H. N. c. 42. quod sequitur Jodocus Damhouderus in LL. f. 276.

XXI.

Præterea eloquuntur rem ipsam satis multa Juris nostri exempla, ad quæ nunc introduco sub illa generali præfatione Papiniana in L. 9. D. d. statu homin. In multis Juris nostri articulis deterior est conditio fœminarum, quàm masculorum. Secundum quod major dignitas est in sexu virili L. 1. D. de Senator.

XXII.

Sic ab initio statim mulieres non interveniunt condendi Legibus. Bartol. in L. 1. in fin. D. d. LL. quod Romæ nulla esset cum Fœminis communio Comitiorum. Godofred. ad



ad fragm. Ulpiani Tit. 8. n. 40. **1138.**  
Quamquam ne domi quid-  
cas, si sui juris finibus matronas contineret pudor, quæ Le-  
ges rogarentur abrogarenturve, curare decuit. Liv. Lib. 4.  
Dec. 4. in pr. Nec earum usus inducit consuetudinem An-  
gelus de Ubald. in d. L. r. de LL. Roman. sing. 42. Johannes  
Bertachinus in Repert. hic fol. 540. Nec honores gerunt in  
Republ. postquam ab omnibus officiis civilibus vel publicis  
remotæ sunt L. 2. de R. J. quod non mutavit plane Jus Ca-  
nonicum: dum ad beneficia nonnulla quidem admittit  
fœminas juxta cap. 43. de election. in 6. sed excludit tamen  
area adhuc dum Varicana novum Johannem cap. X. 10. de  
pœnit. & remiss. Si modo plus veri habet constans illa de  
Johanne Papissa fabula ap. Platinam in V. Johannis 7. M.  
Anton. Sebellic. IX. Ennead. L. 1. Lancell. in Templ. omn.  
Judic. L. 2. c. 1. n. 10. quàm aliud ejusd. Platinae de usu sellæ  
perforatæ intra ceremonias Papalis intronizationis. Vidi  
ipse Porphyreticas aliquas in Lateranenfi: sed ut his usibus  
nunc non inserviant & fortè nec unquam olim.

XXIII.

Deinceps in jure Personarum illud constat fuisse ali-  
quando in perpetua Tutela fœminas. Ulpianus Tit. XI.  
pr. facit tota Lex Claudia de Tutelis fœminarum apud An-  
ton. Augustin. de LL. f. 48. Et aperte Boethius Libr. 2.  
Comment. in Tusc. Cicer. Mulieres antiquo jure perpe-  
tua Tutela continebat. Recedebant vero à potestate Tu-  
toris, cum in manum Viri convenissent. Quæ circa alii vi-  
derint differentiam Tutelæ muliebris à pupillari, quam fe-  
cit Bachov. ad præct. Institut. Quib. mod. Tut. fin. num. 4.  
Arn. Vinnius eod. Nos scalam magis potestatis in fœmi-  
nas accipimus à M. Portio Catone. Ita ille pro Lege Oppia  
ap. Livium Lib. 4. Dec. 4. pr. dixit: Majores nostri nullam,  
ne privatam quidem, rem agere fœminas sine auctore volu-  
erunt: in manu esse parentum, Fratrum, Virorum. Et pau-  
lo post: Recensete omnia muliebria jura, quibus licenti-  
am earum alligaverint Majores nostri, per quæque subjece-  
rint



118  
1738

int Viris &c. Et scribit Cajus Lib. 3. Institut. Uxor quoque  
in manu ejus est. Is sua heres, quia filiae loco est. Ma-  
nus autem significat potestatem. Ulpian. Tit. 9. ibiq; Go-  
hofred. & facit arg. §. 5. Inst. Quib. in Jus. P.P. solvitur L. 2.  
. 1. de Orig. Jur. ad quam vide multa disputantem de Manu  
Legia Albert, Bolognet. de lege c. 12.

XXIV.

Adscribam verba Servii pro pleniori horum notitia.  
Tribus modis (scribit ille in Georg. Vitgil. lib. 1.) apud ve-  
res nuptiae fiebant, Usu: si v. g. Mulier anno uno cum  
viro, licet sine Legibus vixisset. Farre, cum Per Pontificem  
Max. & Dialem Flaminem per fruges & molam falsam con-  
ungebantur. unde confarreatio appellatur, ex quibus pa-  
trium nascebantur. Coemptione vero atque in manum  
conventionem, cum illa in filiae locum, Maritus in patris ve-  
niebat, ut si quis prior fuisset defunctus locum hereditatis  
justum alteri faceret. vid. Petrus Pithæus in Notis ad colla-  
tionem LL. Mosaicarum & Romanorum. Tit. 16. fol. 139.  
Francisc. Hotomannus in Ritu Nupt. Paulus Cypræus de  
Sponsali. cap. 4. §. 6. num. 6. pro notitia omnium. Nos  
coemptioni (in quam incidimus) modum addimus quem  
ex Varrone descripsit Car. Sigonius de Antiq. Rom. cap. 9.  
ut veterilege Rom. nubentes mulieres tres asses ad Virum  
deferrent, atque unum, quem in manu tenebant, tanquam  
emendi causa Marito dare solitas: alium quem in pede ha-  
bebant in foco Larium familiarium ponere: tertium in sac-  
ciperio cum vendidissent compito vicinali resignare. Petr.  
Greg. 1. 9. Syntagm. Univers. c. 5. n. 29.

XXV.

Coemptione sic facta Mulier in potestatem Viri cede-  
bat ad modum liberae servitutis, Servius in illud IV. Æhei-  
dos:

Liceat Phrygio servire marito.  
add. c. 15. XXXIII. qvæst. 5. à qua licet deinceps recessum sit  
ita ut sequiori Jure Rom. filiafam. nupta in patris sui pote-  
state



1739

state remaneat, arg. L. 14. §. 2. L. 6. §. 1. L. 20. ab L. Jul. de  
 adult. coerc. L. 1. C. de bonis quæ liberis &c. L. 8. §. 5. cod.  
 L. 1. §. 1. de iagnosc. Liber. L. 1. L. 2. C. de Liberis exhibendis.  
 Maritorum tamen in Uxores dominium nondum omne  
 ignoratum est Juri nostro. Petr. Gudelinus de Jure noviss.  
 Lib. 1. cap. 7. pr. Sed debent hæ Maritis reverentiam in L.  
 14. fin. de Sol. Matrim. L. 4. §. 7. C. de rei uxoriæ action. & in  
 officio esse Mariti. L. 48. de operis libert. quippe qui in domo  
 dominium habet L. 195. § 2. de V. S. ut possit etiam & debeat  
 iniquos uxoris suæ mores cohibere Nov. 117. cap. 14. & Arist.  
 Lib. 2. Oecon. cap. 1. Quod ad iudicium super vita & fa-  
 ma Mulieris extensum fuit Dionys. L. 2. A. R. Valer. Maxim.  
 L. 9. Tit. 3. Hodieque ad verbera usque declarant DD. mo-  
 do fit medicina argument. L. un. C. de emendat. propin-  
 quor. & dicta Nov. 117. cap. 8. & 14. ubi Godofr. ad Carp-  
 zov. L. 2. Jurisprud. Consist. Defin. 212. & p. 1. Pract. Crimin.  
 quæst. 12. num. 51. Praxistamen Sapientum in L. Connub.  
 8. & 9. rectius conspirat.

Viri uxores sibi æquari jam à principio ne sinunto.  
 Sed dicto audientes esse imprimis docento.  
 Nec si suæ saluti consulere, & honestatem undiquaque  
 sectari velint, eas verberanto, aliasve male tractanto.  
 Suis viri exemplis atque blanditiis cum severitate con-  
 junctis uxores corrigunto.  
 Sed & minas interdum, si res exegerit, admiscento.  
 Verum non palam, aut præsentibus extraneis eas ob-  
 juranto.

XXVI.

Casus quo etiam occidere Marito licet Uxorem super-  
 est in L. 38. §. 8. l. 20. l. 23. l. 24. in fine D. ad L. Juliam de adult.  
 l. 4. C. eod. Et est pro tota hac potestate maritali plenius  
 Edictum primi Creatoris Gen. 3. vers. 36. Ad virum tuum  
 appetitus tuus & ipse dominabitur in Te. Quod à DEO  
 doctus Paulus explicans jubet mulieres *ὑποτάσσου* subdi-  
 tas esse Viris suis, tanquam capiti suo, 1. Cor. II. v. 3. &c. 14.  
 C vers.





147

verf. 34. Et Hieronymus in cap. 15. XXXIII. quæst. 5. cum caput mulieris Vir sit, caput autem Viri Christus, quæcun- que uxor non subicitur Viro suo h. e. Capiti suo, ejusdem criminis rea est, cujus & Vir, si non subiciatur CHRISTO capiti suo. Verbum autem DOMINI blasphematur vel dum contemnitur DEI prima sententia & pro nihilo ducitur, vel cum Christi infamatur Evangelium, dum contra Legem fidemq; naturæ ea, quæ Christiana est, & ex Lege Dei subjecta, viro imperare desiderat: cum etiam gentiles fœminæ viris suis serviant communi Lege Naturæ. In quam rem vid. Aristot. Lib. 1. Polit. cap. 5. Anton. de Guevarra in Horolog. Princip. Lib. 2. c. 7. pag. 242. & si quid ex animalium universo genere probat Plinius Lib. 4. H. N. c. 3. Rotunde Saxo; Ein Mann ist seines Weibes Vormund / und sie tritt in sein Recht / wenn sie in sein Bette tritt. Landrecht L. 1. art. 35. & art. 31. Wenn ein Mann ein Weib nimmt / so nimmt er sie in sein Gewehr / und alle ihr Gut in rechte Vormundschaft. Ex quibus & similibus textibus rectè inferitur quod Patria potestas solvitur per Matrimonium Filia Andr. Rauchbar. p. 2. q. 18. n. 24. Berlich. part. 2. Conclus. II. num. 43. & noviss. Dn. D. Carpzov. Part. 2. Constitut. 10. Defin. 2. ubi num. 2. allegat dissentientes.

XXVII.

Sed plus satis de hac differentia fœminarum à Masculis, in Jure Personarum. Ex qua fat multæ sic descendunt in Jura etiam rerum, hic enim fœmina nihil proprium acquirere potest, arg. pr. Instit. per quas personas cuique acquiritur. per consequens nec alienare pr. Instit. Quib. alienare licet vel non quod vivo parente in cuius potestate est ita procedit per exempla L. 6. C. de revocat. donat. L. fin. C. de pactis L. 12. C. de pignor. act. ut eo non interveniente nihil planè de rebus suis sive hypothecæ aut pignori dare, sive donare valeat. Non etiam Testamentum de his facere L. 6. pr. qvî Test. fac. poss. L. II. C. eod. pr. Instit. Quib. non est permissum facere Testam.

XXIIX.





## XXIIX.

Illud altius est, quod fœminæ non poterant olim ex af-  
 se heredes institui ex *L. Voconia* ab eo, qui census esset, h. e.  
 qui *C. millia æris* professus esset Anton. August. d. *LL.* sub *L.*  
*Voconia* f. 154. Alex. ab Alex. G. V. 6. c. 15. Ulterius scribit  
 Paulus *L. 4.* Sentent. Tit. 8. §. 3. Fœminæ ad hæreditates  
 legitimas ultra consanguineas Sorores non admittuntur, id-  
 quæ Jure Civili, id est *Voconia* rogatione videtur effectum.  
 Paria habet Ulpianus Tit. 26. §. 6. Ex quibus plenissime  
 transcripsit §. 3. Instit. de Legit. agnat. Success. ut tamen  
 semper temperaverint Prætores data Bon. Poss. Unde Co-  
 gnati §. 2. Inst. de Success. Cognat. §. 1. de bonor. possess. *L. 2.*  
 unde cognati. Sed fecit Justin. Imp. æqualem in utroque  
 sexu successionem civilem in *L. pen. C. de suis & legit.* No-  
 vissimè etiam amplius sublata omni inter agnatos & cogna-  
 tos diversitate. Nov. 118. c. 4. & 5. Consule Valentinum För-  
 sterum *L. 3. de success. ab intestat. c. 7. n. 5. f. 160.*

## XXIX.

Porro non possunt fœminæ acquirere per adrogatio-  
 nem. Per populum enim Romanum fœminæ non arro-  
 gant. Ulpian. Tit. 8. (quem textum etiam passivè rectè legit  
 Gothofred. n. 40. arg. l. 20. & l. 21. D. de adopt.) Et est textus  
 de toto genere in §. 10. Inst. h. t. Fœminæ adoptare non pos-  
 sunt, quia nec naturales liberos in potestate habent, & add.  
*L. 5. C. eod. ut cogites, si quando ex indulgentia Divali ado-*  
*ptent, tamen non habere eos suos heredes L. 13. de suis &*  
*Legit. hered. §. 3. Institut. de hered. qualit. & differ.* Nec  
 possunt adeò illis substituere pupillariter: quia non ha-  
 bent in potestate. Andr. Tyraqvell, in *L. I. Connub* Gloss.  
 l. n. 84. f. 18.

## XXX.

Super obligationibus Fœminarum, quæ pro aliis reæ  
 fierent audire licet, quæ M. Silanus & Vellejus Tutor  
 COSS. verba fecerunt in *L. 2. §. 1. D. ad SCTUM Vellejan.*  
 Paul. lib. 30. ad Edictum summam fecit hanc. Vellejano  
 C 2 SCTO



SCto plenissime comprehensum est, ne pro ullo fœminæ intercederent. Nam sicut moribus civilia officia adempta sunt fœminis, & pleraque ipso jure non valent, ita multo magis iis adimendum fuit officium, in quo non sola opera, nudumque ministerium earum versaretur, sed & periculum rei familiaris, in *L. 1. pr. §. 1. eod.* Hoc addo, teneri tamen mulierem in conscientia. Jason. in avth. Præterea, colum. 9. vers. item adverte. C. unde Vir. Tantum abest, ut mortaliter peccet, sive is qui cum ea bona fide contraxit Paul. de Castro in *L. 7. d. LL. Philipp. Corneum lib. 1. Conf. 36. col. 3. & 4.* & pro posteriori Jason in *L. 2. C. de Fideicommiss. Col. 2. vers. facit quarto & est text. in cap. 28. X. de elect. in medio.*

XXXI.

Post hæc in Judiciorum ordine illud famosum est ex *L. 1. §. 6. D. d. postul.* quod Prætor fœminis prohibuit pro aliis postulare. Et ratio quid prohibendi ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immisceant, ne virilib. officiis fungantur mulieres. Origo verò introducta est à C. Afrania (sic enim viri docti restituunt text. ex Valerii lib. 8. cap. 3.) improbissima fœmina, quæ in verecundè postulans & Magistratum inquietans causam dedit Edicto, Pro se tamen postulare non prohibentur. dict. *L. 1.* quod secus se habet, si sunt sub potestate, secundum quod diximus. Et est arg. §. 2. Inst. de Injuriis *L. 1. §. 1. D. eod.* Et evitare etiamnum studuit Constantinus, datâ marito potestate, citra mandatum in rebus uxoris intercedendi, ne fœminæ persequendæ litis obtentu in contumeliam matronalis pudoris irreverenter irruant, & conventibus virorum vel Judiciis interesse cogantur in *L. 21. C. d. Procurat.* ad quam continentiam profundam more suo Lecturam facit Tyraquellus in *L. X. Connub. n. 14. & multis seqq.*

XXXII.

Præterea Mulier ex antiquo Jure testis esse non poterat, quod discimus ex A. Gellio *L. 6. c. 7.* Deinceps saltem  
non



non est optimus testis, Bertachin. in Rupertor. h. f. 545. in f. A. Petrus Rebuff. ad Rubr. de Testib. n. 1. sed in causis testamentariis plenè rejicitur §. 3. Inst. d. Test. ordin. Jacob Butrigar. h. n. 14. nisi quando Testamentum est inter Liberos. Gloss. in Leg. fin. C. de Codicil. quam sequuntur Dd. teste Lanfranco de Oriano Tr. de Testib. n. 80. Barthol. Socin. de Fallentiis R. Sob. Et iterum post didicita testificata plenè non admittitur juxta Bartol. quem sequitur Marianus Socinus de Testib. n. 124. & licet Jus civile in causis criminalib. admittat fœminas L. 1. L. 3. §. 5. de Testib. Canones tamen rursus repudiant Dd. in c. 3. X. de Testib. add. Nep. de Monte Albano de Test. Omnia per multas authoritates Hieronymus Gigas Tract. de Crimine læsæ Majest. L. 2. Rubr. quæ & per quas Personas Crimen læsæ Majest. probatur quæst. 6. pag. 253.

XXXIII.

Illud quod Fœmina judicandi munere non fungitur, notius est ex L. 12. §. 2. Dd. Judiciis quam ut hic attingi debeat. Proinde aliud saltim inter judicia publica adhuc stringo, quod veneficii suspicio ex L. Cornelia magis gravet fœminas quam mares, quando & curiosior est sexus mulieris, & ad scrutandas artes magicas pronior atque propensior. Læ. Mancini collat. Lib. 1. c. 96. n. 6. plenè juxta illud Fabii Quintiliani: Latrocinium facilius in viro, veneficium in fœmina credam lib. 5. Orator Inst. Rationes aliquot addit P. Ghirlandus de Sortileg. quæst. 7. n. 31. ibi: sed quæro nunc, quid rationis est, quod in ista secta plures sunt Mulieres. Viri autem rari sunt f. 188. plures habet Jac. Sprenger in Malleo Maleficarum P. 1. p. 6. Sanè ipsa etiam lex Mosai- ca Exod. XXII. ne maleficæ viverent, de fœmina tantum est expressa, si fidem merentur Critici sacri. Præterea Historia profana veneni mali usum primævum (si hæc valent) Fœminis transcribit. Diodorus Hecaten defert Lib. 5. de antiquit. gest. Pro urbe Roma auctor est Titus Livius ad A. U. C. 423. decade 1. Lib. 8. Ad CLXX. damnatæ. Neque de venefi-



si  
111  
neficiis ante eam diem Romæ q̄alitum est. Eadem notant  
aliū Romanorum Scriptorum. Ut appareat, Plinium ex  
hinc rectè scripsisse lib. 25. H. N. c. 2. Scientiam fœminarum  
in veneficiis prævalere. Dixi studio, si hæc talia valent aut  
concludunt. Videbatur enim Veneficium hætenus quid  
significare strictius, quam ut omnem magiam exhauriret.  
Qua de jam in LL. XII. Tab. legitur, hodieque restitutis VII.  
& vid. apud Fulvium Ursinum in Notis ad LL. SCT. fol.  
250. Apulej. in apolog. pag. 219. Magia quantum ego au-  
dio res est Legibus delegata jam inde antiquitus XII. Tabu-  
lis propter incredundas frugum illecebras, interdicta. Igi-  
tur occulta non minus quam retra & horribilis, plerumque  
noctibus vigilata & tenebris abstrusa & arbitris solitaria &  
carminibus murmura &c. Magiam tamen fœmininam  
frequentissimam edocuit vita humana. Vide Alex. ab Alex.  
Lib. 6. Gen. X. adde si lubet il Palazzo degl' incanti Di To-  
moso Garzoni: plenius illud Bodini Dæmonomania. Et  
si cupis defensores rei Joh. Wierium, Petrum de Apono, Joh.  
Franc. Ponzinibum de Lamiis. Extat Tom. 2. Prax. Crim.  
f. 189. & si temperamentum rei fecisse videbitur Anonymus  
quispiam in nostro idiomate de Processu adversum sagas  
rectè formando.

#### XXXIV.

Et hæc hætenus contra fœminas: ac sicuti sunt dete-  
rioris conditionis, quam masculi. Favores & privilegia post  
hæc earum tot & tanta sunt in Jure Justin. ut Sacratu ipse  
Imp. exinde non paucis Uxoribus audiat, & qui Consiliis  
Theodoræ Uxoris fuerit promptus nimis Executor, Parti-  
cipem consilii eam sumpsisse testatur Nov 8. c. 1. Sed defen-  
dit ex receptio more Gothofred. ibid. add. L. 3. fin. C. de  
quadrien. præscript. Erasmi, Ungepauer Exercitat. Justin. l.  
Q. 6. n. 3. Mæstert. de Justit LL. Rom. Lib. 1. dubio 3. & 4. add.  
Just. Lipsii Not. ad Lib. 11. Polit. c. 17. Et pro fictitia & fi-  
mili cæde Bellisarii Alciat. 4. Parerg. c. 24. Possunt de Pri-  
vilegiis Mulierum videri Joann. Ulr. Wolffius & Frid. Prück-  
mann.



~~1179~~  
1142

mann. de differentiis utriusque Sexus. Joach. Wibel de Ju-  
re & Privil. Mul. & plenissime Bened. Carpzov. de Jure Fœ-  
minarum singulari. Nos nostra hæc concludimus florido  
illo L. Apuleji: Sanus est, qui scit, quid sit insania. Insania au-  
tem scire se non potest, non magis, quam cæcitas se videre.

*Supplementum*

DN. JODOCI DAMHOUDERII,  
in Locis Communib. parium aut similibus  
adauxit

D. NICOL. THULDÆNUS.  
*V. Mulier, Philosopha. f. 275.*

**M**ulieres bonæ Philosophis hodiernis pos-  
sunt comparari, quia raræ sunt, l. 7.  
§. sed ex reprob. 7. ff. d. excus. Tut. Sic obste-  
trices Ægyptiorum dicebant Pharaoni Regi  
Ægyptiorum de mulieribus Hebræorum:  
Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ  
enim obstetricandi habent scientiam, & pri-  
usquam veniamus ad ipsas, pariunt: h. e. in re-  
rum naturalium cognitione, nempe in Philo-  
sophia naturali, nobis multò sunt superiores.  
Exod. 1.

Sed priusquam hunc Locum absolvam,  
unum addam, quod præterire non possum,  
quod cum nuper incidissem in hanc materi-  
am, percurri omnes Juris Civilis textus, quò  
aliquid invenirem, quod hoc loco possem in  
favo-





favorem & laudem mulierum inferere; &  
probare aliquam mulierem existere bonam:  
& tandem se obtulit L. mulier bona ff. d. jur.  
dotium. Quam cum diligentius inspexissem,  
inveni Legem sic habere: Mulier bona sua  
omnia in dotem dedit &c. Et deprehendi  
bona non esse h. nominativi casus, ut sit E-  
pitheton mulieris; Sed accusativi casus. Ut  
in toto Corpore Juris Civilis mulierem bo-  
nam invenire non potuerim.

Sequitur hæc bonam partem Mascardus  
de probat, Conclus. 1080. n. 28. & subdit plura  
Auctor V. Uxor Mala Diabolo est conferen-  
da f. 371. secundum Gloss. in C. XX. Dist. L.  
stat Diabolus à dextris ejus, id est,  
Uxor,


*DII MELIORA!*





ULB Halle  
003 007 642

3




86


VD17











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

V. ~~849~~ 12.57.  
 1731.  
 12  
 4  
 1672, 90  
 67  
 6

INA  
 HOMO,  
 ber Den  
 c nicht?  
 HOELTICH,  
 TOR.  
 ARUS Walz/  
 ancus.  
 CONSULTORUM,  
 Anno 1688.  
 FÆ,  
 DTERI, Acad. Typ.